

DISPUTATIO PHYSICA  
DE ANIMA VEGE-  
TANTE EJUSQUE FACUL-  
TATIBUS,  
Quam  
AUXILIANTE DEO,

PRÆSIDE

Clarissimo, Doctissimo, Humanissimoq; Viro,

DN. HENRICO WAGENFELDIO,  
Philosophiae Magist. et Physices Profess. ordinario,  
Præceptore ac Fætore suo æratem co-  
lendo,

In illustri Bremensium Minervio publicæ dis-  
quisitioni subjicet

JONAS BARBECK  
Esländiensis.

Ad diem **XVII. Junij**, loco horisq; solitis,



B R E M A E,  
Typis Bertholdi de Villiers, ibid. illustris Gymnasii Tyrogi.  
An. M D C L.

*Nobilibus, Amplissimis, Consultissimis, Prudentissimis,  
spectatissimisq; VIRIS,*

**D. D. P R A E T O R I.**

**DD. COSS., SCABINIS et SENATORIBUS,**

Inclytæ Reip. Duisburgensis, &c. Dominis suis Mæcen-  
tibus, Patronis, Fuergetis, Promotoribus ac Fautoribus  
omni devotionis cultu prosequendis, honorandis.

NEC NON

*Nobili, Clarissimo, Doctissimo, Experientissimoq; VIRO,*

**DN. ABRAHAMO SCHULER. O**, Utriusq; Medicinæ  
Doctori celeberrimo, & Reip. Duisb. Physico ordinatio,  
Fautori suo omni observantia colendo.

ET ET

*Clarissimo, Consultissimo, Doctissimoq; VIRO,*

**DN. JOHANNI OSTERHOLDT**, Serenissimæ Camere  
Electoris Brandenburgici, quæ Cliviæ sita est, Secretario  
dignissimo, Cognato ac fautori suo charissimo, perpe-  
tuo amore prosequendo.

ITEM

*Prudentissimo, Spectatissimo, ac Integerrimo VIRO,*

**DN. WESSELIO von BERTH**, Civi ac Mercatori Reip.  
Vesaliensis è primariis spectatissimo, Cognato suo su-  
vissimo, jugiter observando;

*Hacce studii sui philosophici primatias in de-  
biti honoris, amoris, gratiæ, animi monu-  
mentum, promotionis ac ulterioris bene-  
volentiae excitamentum,*

Officiosè ac submisè dedicat &  
offert

JONAS BARBECK  
Auth. & Resp.



THE SIS I.

Mne corpus physicum ex materia & forma substantiali sibi debitè unitis constat. Quæ forma substantialis in corporibus viventibus anima appellatur, & ab Aristotele 2.de anima c.1.text.6. definitur *έντλεχεια* prima & substantialis corporis physici organici potestate vitam habentis. Anima itaque dicitur 1. (*έντλεχεια i. e. actus*,) quo excluditur tum materia prima, tum etiam totum compositum. 2. (*actus primus*,) quo excluduntur tam naturales potentiae, quam earundem operationes. 3. (*Substantialis*) quo excluduntur omnia omnino accidentia. 4. *actus (actus corporis)* quo excluduntur Angeli, qui corporum, quibus assistunt, interni actus nequaquam sunt habendi. 5. (*Corporis physici*) quo arcetur corpus tum Mathematicum, tum artefactum. 6. (*Organici*) quod nihil aliud est, quam corpus debito organorum, per quæ anima varias exercere debet operationes, apparatu instructum; & hanc ratione excluduntur rerum inanimatarum formæ, quarum subjectum est homogeneum nec eleganti organorum varietate adornarum. 7. est *actus corporis (potestate vitam habentis)* quo excluduntur cadaverum formæ, ut pote quæ nullius vitalius actionis principium esse possunt, licet in cadaveribus diversitas quædam organorum (quæ tamen cum viventium organis non nisi æquivoce conveniunt) conspiciatur.

I I.

Quoniam a hæc animæ definitio alicui poterat videri obscurior, Aristoteles aliam clariorem, quæ distinctè species animalium explicat, 2.de ani.c.2.tex.18.tradit: *Anima, inquisens, est principium, quo vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus.*

mus. Neq; tamen vult philosophus, animam harum auctiōnum esse principium in omnibus, sed quatuor illae particulae vivimus, sentimus, &c. disjunctim sunt accipiendae, ita tamen, ut disjunctio fiat cum copulatione ad partes praecedentes, adeoq; sensus sit, animam esse principium aut vitam tantum, ut in plantis; aut sensus etiam, ut in animalibus brutorum quibuscunq;; aut etiam motus, ut in brutorum perfectis; aut intellectus insuper, ut in solo homine. Quem etiam in modū Philosophorum aquila naturae definitionem lib. 2. phys. c. I. tex. 3. assignat; *Natura*, inquiens, est principium & causa motus & quietis ejus, in quo inest, primò & per se, & non secundum accidens: ubi vocula ET itidem non copulativè est intelligenda, quasi natura in omnibus sit causa & principium motus & quietis, cum quædam corpora perpetuò quiescant, & secundum se tota nunquam moveantur, ut totus terræ globus; quædam perpetuò moveantur, nunquam a. quiescant, ut primum mobile: sed disjunctivè, quod sc. in aliquibus sit principium motus tantum, ut in primo mobili; in aliquibus quietis tantum, ut in toto terræ globo; in aliquibus principium & motus & quietis successivè, ut in iis, quæ nunc moventur, hunc quiescant.

## III.

Animæ porrò species tres sunt, vegetativa, sensitiva & rationalis, unde & tria animatorum genera exsurgunt: *Primum*, quod vegetativa duntaxat est præditum, vocatur planta: *Secundum*, quod sentiente & per eam vel sensu solùm vel sensu & motu gaudet, animal nuncupatur: *Tertium* & perfectissimum animantium genus, quod rationalia anima est instructum, dicitur homo.

## IV.

Non tamen plures animæ in eodem simul sunt corpore, quia anima est vera forma substantialis; in eadē anima materialiter.

5

terior portione non nisi unica forma substantialis esse potest: plures enim si inessent, una alterius operationes impedit & neutra effectum suum primarium sortiretur: sed inferior in superiori, vegetans sc. inserviente, & in intellectiva sentiens ac vegetans, haut secus ac trigonus in tetragono virtute continetur: unde inferior quidem absq; superiore, non tamen superior sine inferiore inveniri potest.

#### V.

De anima in super vegetante, quæ non tantum ceteris, quasi fulcrum substernitur, sed etiam peculiarem viventiū gradum, plantam videlicet, constituit, priori loco, monente Aristotele, agendum est. De qua etiam nobis præsenti Disputatione agere est animus.

#### V I.

Anima itaque vegetans est actus primus substantialis corporis physici organici, quā illud vivit, nutritur, augetur, & sibi simile in specie gignere potest. Ex quā definitione tres animæ vegetantis facultates, nutritrix, auctrix & generatrix, quæ viventibus ad sui conservationem, debitæ quantitatis adeptione & speciei propagationem summoper necessariæ sunt, lumenissimè patent.

#### V II.

Uta. tres illæ animæ vegetantis potentiaæ functiones sicut rite obeant, opus est. I. Materia, circa quam occupentur, & est alimentum, ex quo assument & in substantiali corporis converso nutrimur, augemur, & è cuius residuo proximum generationis principium (semen) efformatur. II. Instrumento, quod est calor, tum nativus omnibus & singulis corporis partibus ab ortu insitus, tum influens, qui è corpore promanans innatum excitat, ut & ea, quæ natura, hunc in finem, providit membra. III. Facultatibus administris, quæ sunt numero quatuor, attractrix, retentrix, cœcatrix & expul-

trix; quibus inserviunt triplicis generis fibræ, rectæ, quæ secundum longitudinem membrorū sunt extensæ; oblique, quæ faciunt angulos impares; transversæ, quæ efficiunt angulos transversos. Attraetrix facultas alimentū conveniens per fibras rectas attrahit; retentrix per fibras obliquas alimento retinet, donec alteretur; concoctrix, medio calore, alimento alterat, concoquit, perficit, & aptum reddit, ut possit in substantiam corporis converti; expultrix, insitā vi, id, quod superfluum est & molestum, per fibras transversas expellit.

## VIII.

Tres illæ animæ vegetantis potentiae, nutritiva, augmentativa & generativa realiter tū inter se se, tū ab animâ distinguuntur: ab anima quidem, quod nulla substantia creata, juxtabiliorum Philosophorum doctrinam, immediatum agendi principium esse posse, adeoq; potentiae, per quas anima operatur, ipsam etiam substantia esse nequeant: inter se a, tū quia adæquati earum fines realiter distinguuntur, finis siquidem generatrix est aliud procreare Individuum ad conservandam speciem; nutricis in eodem Individuo partem, quæ deperdita est, restaurare; auætricis suo subiecto ea quæ ad operationes ritè obeundas necessaria est, quantitatem conciliare: tum quia nutritio toto vitæ tempore, augmentatio v. & generatio ad certum duntaxat tempus durat; tum deniq; quia nutritiva & augmentativa per totum corpus est diffusa, generativa a. in certa tantum corporis parte sedem suam obtinet.

## IX.

Prima animæ vegetantis potentia eaq; communissima est ALTRIX, quæ alimento, vi caloris nativi, in substantia corporis animati convertit, ad reparandum id, quod ante erat deperditum: Cujus exercitum dicitur nutritio, quæ formaliter sumpta est instantanea introducere animæ in materiam alimentis facta ab anima, ad rependendum id, quod erat deperditum.

X. Ad

7

X.

Ad pleniorēm nutritionis intelligentiā, quinq; in ea consideranda sunt. 1. Subjectum, quod nutritur. 2. materia, quā nutritur. 3. formā nutritionis. 4. Efficiens. 5. Finis ejusdē. Subjectum nutritionis est substantia corporea, (cū n. media nutritione aliæ partes aggernerentur, illa substantia partes habeat, atq; ita corporea sit, necesse est.) & animata: in animata siquidem non nutriuntur; augentur quidem impropriè per juxtapositionem aliarum partium, non a. per intus allumptionem alimenti.

X I.

Alimentum verò est substantia corporea partim similiis, partim dissimilis rei, quæ alitur. Cū n. in locum partis, quam substantia corporea deperdidit, substitui debeat, non accidens, sed substantia quoq; & quidem corporea sit oportex; cūq; in substantiam aliti necdum sit versum, sed mutari adhuc debeat, neq; omnino simile erit viventi, alioquin nullā amplius conversione opus esset, neq; omnino dissimile, alioqui in illius materiam vix aut ne vix quidem viventis forma introduci posset. Alimentum itaq; actu est viventi dissimile, potentia verò simile, quæ similitudo in proportione & convenientiā temperamenti inter utrumq; portionum sita est.

X I I.

Alimenti munus purum putum Elementū subire nequit. Elementum n. purum unam qualitatē habet in summo gradu: Nullum a. vivens qualitatem hanc summè intensam infringere & ad mediocritatem reducere, adeoq; formā Elementi ejectedā in illius materiam suam formā introducere potest, id quod ad nutritionem omnino requiritur.

X I I I.

Forma nutritionis est instantanea introductio animæ in materiam alimenti proximi. Et licet hanc introductionē

A 4

va-



variæ alterationes præcedant, in iis tamen formalis nutritiōis ratio nequaquam sita est, quamvis hujusmodi alteratiōes sano sensu nutritio antecedenter seu dispositivē, non a formaliter sine incommodo vocari possint. Proximum v. & præcipuum alimentum in animalibus sanguine præditis, est sanguis, qui nutrimentalis vulgo dicitur, in iis verò, quæ sanguine carēt, ut & in plantis, humor alijs hujusmodi lan-  
guiniā analogus.

## X IV.

Causa efficiens nutritionis remota est anima; propinquā est facultas nutrix; anima n. ut substantia creata im̄mediatum operandi principium esēt non potest: quod ipse Aristoteles comprobare videtur lib. de sensu cap. 2. ubi docet ignē, terrā, cæteraq; non esēt nata agere, nisi p̄t habent contrarietatē, cal frig. hum. sicc. instrumentalis est calor tūm insitus, tūm in-  
fluens, qui insitum illum excitat. Nutrix a. facultas cūm sit potentia naturalis, etiam alimentum vel internum, ve ex-  
trinsecus de novo adveniens debitè approximatū sibi semper habeat, necessariō agit, adeoq; toto vitæ tempore vi-  
vens nutritiū rectissimē dicitur.

## X V.

Finis nutritionis est, ut reparetur id, quod est desperdi-  
tū. Cūm n. per continuam caloris naturalis actionem qua-  
dam corporis partes absumantur, & humidum radicale sen-  
sim à calore depascatur, summē necessaria est viventibus nu-  
tritio, ut per eam partes absumptæ, quamvis nō adeo bonæ,  
restituantur, & in locū humidi primigenii depasti aliud ex  
alimento substituantur, licet non adeo præstans & purum,  
quād id, quod ex primā generatione à parentibus commu-  
nicatum est, sed impurius & multis excrementis inquinatū.  
Quo fit, quod vivens, quamvis perpetuō alimentum ei sup-  
peditetur, in perpetuum tamen ab interitu sese vindicare  
nequeat.

## XVI. Ad

A

### X V I.

Ad nutritionem porrò tres magis insignes mutationes requiruntur, quarū *prima* in animalibus sit in ventriculo, *secunda* in epate, *tertia* in singulis partibus. Cibus n. in ore masticatus motu linguae, per œsophagum, in ventriculum detruditur, qui lebetis instar calidi eum coquit, & primò in substantiam lacteam, quæ Medicis chylus dicitur, convertit: Chylus deinde per inferius ventriculi orificium dimittitur, puriorq; ejusdem pars secundò ab epate in sanguinem nutritamentalem vulgo dictum, vertitur, sanguinem deniq; istum per totum corpus diffusum, quælibet pars inditā sibi virtute in substantiam sibi similem tertio vertit, os scil. in os, caro in carnem &c. In plantis prima concoctio sit in radice, seunda in trunko, tertia in singulis partibus.

### X V I I.

Altera animæ vegetantis potentia vocatur AUCTRIX, cuius beneficio corpus animatum secundum omnes & singulas partes, justâ proportione, ad certū magnitudinis terminum à naturâ præfixum & ad actiones naturales rite obvendas requisitum augetur. Quemadmodum yero potentiam nutricem à facultate auctrice realiter differre arbitramur, sic & augmentationem à nutritione realiter differre censemus, præsertim cum harum actionum termini per se & primariò intenti differant realiter; terminus n. ad quem nutritionis est nova pars substantiæ; terminus ad quem actionis non est nova pars substantiæ, sed major viventis quantitas.

### X V I I I.

Auctio alia est propriè dicta, alia impropriè accepta. *Impropriè dicta* à Philosophis duplex statuitur, quarum una fit per rarefactionem, sine alterius corporis accessu, quando corpus rarius factum majorem quærit locum; sic ex uno pugillo terræ fiunt 10. pugilli aeris, mille ignis, asserente Aristotele

tele 2. de gener. altera fit per juxtapositionem alius corporis, ut si ligno digitali aliud lignum digitale agglutinetur, minus propriè augeri dicitur. *Auctio v. propriè dicta & physica,* de quâ nobis sermo est, solis animatis competit, quatenus vivunt animâ vegetante, estque motus ad majorem quantitatem terminatus, & ad hanc augmentationē tria requiruntur. 1. quod corpus illud fiat majus mediante alimento incus assumpto & in substantiâ corporis converso. 2. quod maneat & conservetur idem numero. 3. quod non tantum totum fiat majus, sed etiam omnes & singulæ partes cum similares, tum dissimilares, justâ proportione augeantur.

## XIX.

Quamvis vivens toto vitæ tempore nutriatur, non tamen toto vitæ tempore, augetur, sed auctio certo tantum durat tempore. I. quia vivens certo temporis tractu quantitatem ad actiones naturales exercendas necessariam est adeptum, ideoq; justâ quantitate ceu fine obtēto, auctio, tanquam medium eò ordinatum, cessat. II. quia calor naturalis decursu ætatis sensim debilitatur, sicq; illud tantum sufficiat, convertere potest. III. quia totum alimentum in nutritionem absumitur, vivens quippe gradius effectum largius vult nutritiri. IV. quia potissima pars, quæ in animalibus augetur, sunt osla, in plantis substantia ossibus analoga. Osla autem initio sunt humida & mollia ac propterea ad extensionem maximè idonea, progressu vero ætatis paulatim à calore naturali indurantur & exsiccantur, ut amplius extendi non possint. Neque tamen auctrix facultas otiosa di cenda est aut superflua, satis namq; est quod justo tempore vires suas aetū exseruerit, & si res postularet ceteraq; omnia paria essent, in actum erumpere posset.

## XX.

Quod inter ejusdem speciei viventia, homines v. g.

magna quoad quantitatem sit varietas , fit vel ratione regionis , in qua vivunt , vel ratione temperamenti : Regionem quod spectat , degentes in locis frigidis plus incrementi sumunt , ob meliorem nutritionem ; quæ pendet à vegetiore calore ; jam v . in locis aliquantulum frigidioribus , ob ~~aventuris aetate~~ frigoris calor internus augetur , & ab extremis partibus ad interiores propellitur , ibique cùm invenit alimentum , in quod agat , calor ille cùm sit fortior , plus materiae in substantiam corporis convertit , unde corpora majorem acquirunt quantitatem : minus a . incrementi sumunt homines viventes in regionibus calidiorib . I . ob caloris interni evacuationem & ad exteriores partes à calore externo evocationem , unde alimentum inconco-  
lum relinquitur . II . Ob consumptionem materiae , quæ alioquin in substantiam corporis converti poterat , ab aëre calidore . III . Ob eductionem humoris , quâ ratione ossa atefiunt & indurescunt atq ; ad extensionem ulteriorem inceptra redduntur . Quin & inter homines easdem regiones incolentes magna quoad staturam varietas deprehenditur . Qui enim sunt moderatè calidi & humidi , fiunt majores , cum calor naturalis sit agens & dilatans & extendens ; humida etiam membra facilius extensionem partium admittant : Frigidi & siccii brevioris sunt staturæ , quia frigus est ineptum ad dilatandum corpus , membra insuper exsiccata extendi nequeunt .

## X X I .

Finis auctionis est justa viventium quantitas , quâ opus habent , ut actiones commodiū absolvant : Viventia namq ; ex semine ut plurimū generantur , adeoque sub ortus sui initium modicā tantum sunt quantitate , neq ; habent organa in eâ perfectione & quantitate , ut omnes actiones , quarū princeps est generatio , rite obire possint , neq ; enim homo infans hominem generare , nec arbor sub ortus sui primor-

dia fructus facere potest. Ad hanc ergo quantitatem obtinendam, auxtrix facultas eis concessa fuit, haecque est causa, cur sola animata propriè & physicè augeantur, non autem inanimata; quia inanimata quam primum producuntur, possunt habere quantitatem actionibus naturalibus peragendis satis idoneam, sicuti ignis verbi causâ etiam in minimâ quantitate alium ignem generare potest.

## X X I I.

Cum animata omnia interitus sui causas sibi connatas habeant; ut lib. i. de tuendâ sanitate demonstrat Gal., appetant tamen naturali instinctu esse perpetuò: idcirco Deus & natura præter facultatem altricem & auxtricem, tertiam putat GENERATRICEM ipsis concescit, cuius beneficio perpetuitatem, quam in seipsis nancisci non poterant, in aliis & longâ serie sibi invicem succendentibus individuis quodammodo consequantur. Unde & inter facultates animæ vegetantis facile primas tenet. Auxtrix n. & nutrix spectant lumen modò bonum particolare, & Individuum aliquamdiu ab interitu servant & ad actiones naturales aptum reddunt; generatrix a. bonum cōmune, quod particulari est præstantius, conservationē putat speciei. Cui & ipse Philosophorum Princeps subscrabit, quando 2. de anim. tex. 34. generationē opus naturalissimum & præstantissimum inviventib⁹ vocat.

## XXIII.

Est a. facultas GENERATRIX vis animæ vegetantis, quā corpus animatum perfectum & unum in suo genere, ex semine prolifico, sibi simile in specie, ad speciei conservacionem dignit. Generatio ergo est opus potentie generatricis, quā corpus animatum unum & perfectum in suo genere, ex semine fœundo, sibi simile in specie procreat.

## XXIV.

Causa efficiens generationis propriè dicta, quæ sit per decisi-

decisionem seminis, *principalis* est anima vegetans, *propinquā*  
est facultas generatrix, *instrumentalis* est calor, tūm innatus,  
tūm influens. Subiectum itaq; quod generat, est corpus ani-  
matum, idq; in suo genere perfectum: imperfecta n., & qui-  
bus è necessariis generationis principiis aliquod deest, sibi  
simile haud producunt.

## XX V.

In plantis distinctio sexus ad generationē non concurrit,  
neque nisi secundum similitudinem & proportionem no-  
men sexus iis tribuitur, docente Aristot. in I. de gener. ani-  
mal. c. I. In animalibus v. perfectis & sanguineis distinctio  
sexus, maris scil. & fœminæ, locum habet; maris est semen  
prolificum matri suppeditare; matris illud recipere, fovere  
atque cum suo semine commiscere, & sufficientem fœtus  
formandi materialē subministrare.

## XX VI.

Ad generationem promovendam duplē insuper na-  
tura providit facultatem ministram, alteratricem & forma-  
tricem. *Alteratrix* est facultas ministra, quæ subiectam gene-  
rationis materialē probè miscet, nec non in qualitatibus pri-  
mis & secundis transmutat & alterat. *Formatrix* seu πλαστικὴ  
est facultas ministra, quæ partes heterogeneas & ho-  
mogeneas separat & corpus ipsum distinctius efformat, si-  
gulis partibus debitum numerum, quantitatem & situm  
tribuit, illas inter se unit, & primum instar artificiosi pi-  
ctoris delineat, postea lineamenta replet & pleniū elabo-  
rat, ut commodum reddatur animæ domicilium.

## XX VII.

Inter partes viventis præcipuas, in quibus videlicet una  
ex iis residet virtutibus, quibus totum corpus gubernatur,  
primo omniū cor aut parte cordi analogā efformari vero-  
similius doceri putamus, tūm quia sic visum est Philoso-

phorum Principi, qui lib. de juventute & senect. c. I. In animalibus, inquit, quæ sanguinem habent, cor primum gignitur, id quod per spiculum est ex iis quæ spectavimus in iis, quæ cum adhuc essent, vidisse nobis contigit: tum etiam quia absque calore & spiritu vitali, qui à corde oritur, vivens quæ vivens, necesse est nec operari quipiam potest; Unde & cor non immergit primum vivens & ultimum moriens appellatur.

## X X V I I I.

Fœtus humanus successivè tribus informatur animabus, vegetante scilicet, sentiente, & rationali, sic tamè, quod nobiliore adveniente, ea quæ ignobilior est, partim ob impossibilitatem, partim ob superfluitatem expellatur. Cum prius introducatur dispositio ultima ad animā vegetantē quæm sentientem, & priùs ad sentientem quæm rationalem (natura siquidé ab imperfectiorib⁹ ad perfectiora paulatim progrederit) priùs quoque vegetans quæm sentiens, & hæc quæm rationalis introducitur, eò quod posita ultimā dispositione ipsa quoq; forma confessim sequatur.

## X X I X.

Anima vegetans & sentiens cùm in plantis & bruris sint formæ materiales & ad materiae extensionem extenſe, atque extra materiam naturaliter subsistere nequeant, è potentia materię, cæteris paribus, educuntur: rationalis, quæ & spiritualis est & sentientem ac vegetantem eminenter includit, è potentia materię haud educitur, sed immediate à Deo in corpore sufficienter disposito creator; atq; ejusmodi animæ rationalis ortum nec ipse Philosophus ignoravit, unde & solam mentem, i.e. animam de foris venire ex vero prorsus docuit. Sed hanc materiam accuratius enucleandū relinquimus ei, qui de natura & ortu animæ rationalis publicum quandoq; certamen subire voluerit.

## X X X.

Animam rationalem à Deo intra corpus immediatè creatam, p. rench,

rentes, mediā virtute, quæ in semine seu instrumento residet, corpori organico uniant: Quia n. neq; formam, seu animam rationalem, ut ante dictum est, producunt, neq; materiam, opotest, quæ, juxta vulgaram Philosophorum doctrinam, est ingenerabilis, & non nisi creatione produci potest, formam saltem corpori adhament & ad ipsam unionem acti-  
vè concurrant, oportet, præsertim cùm non sit satis, quod corpus ad fu-  
turæ animæ receptionem disponant, ed quod non sint idem virtus ge-  
nerativa & dispositiva.

## XXXI.

Quod vivens sibi simile in specie procreet, ex Indole agentis uni-  
voci provenit, id namq; per se & cæteris paribus Individuum ejusdem  
secum naturæ & speciei produceit. Per accidens tamen ob materiae im-  
proportionem & diversorum seminum commixtionem, id quod pro-  
creatur, & patri & matri quoad speciem dissimile esse potest, quemad-  
modum equus & asina congredientes, mulum, pardus & leæna leopar-  
dum, lupus & cerva Lynxem, uti Plinius & alii, qui naturæ arcana stu-  
diosius sunt scrutati, gignere perhibentur.

## XXXII.

Quod vivens generanti quoad sexum vel simile vel dissimile eva-  
dit, id tūm è materia aut sufficiētiā aut defectu, tūm agentis aut sat fortí  
aut debili agendi virtute provenit: quando n. justa suppetit materia co-  
plia, virtus quoq; plastica & calor naturalis vegetior fuerit, masculus: si  
vero πλαστικὴ sit debilior & materiae insuper defectus accesserit, fæmel-  
laria lucem prodit.

## XXXIII.

Deniq; quod vivens nunc patri, nunc matri, quoad colorem & li-  
namenta extēriora sit simile, hujus rei causa est tūm vis πλαστικὴ semi-  
nis, tūm etiam quæ in eodem invenitur primarum qualitatum tēperies;  
quando n. vis formatrix feminis paterni materni feminis virtutem su-  
perat, temperamentum quoq; paternum in eo invenitur, proles patri  
hac simili itudine similis erit, matri v., quando in materno semine ea, quæ  
diximus, reperiuntur. Quia tamen, si agens aut patiens objectum ali-  
quod vehementer sibi imaginetur, factus ei, quod fortí imaginatione  
concepitur, quoad colorem similis prodire possit, haud iinus infitias, cu-  
jus rei exemplum habes in ovibus Jacobi, Gen. 30.

DEO SIT LAUS, GLORIA ET GRATIARUM ACTIO.

Praestantiis ac Doctris. Dn. RESP.

Zy

**Z**eu μελά τον μισόν ιδε γένε, ινι κατθεο σειο  
Ούδε γένε αχρηστον ζητει σπικής βάρος, ηλική  
Αύτη περι ψυχής ει διαλέξει ιη.  
Ωντε, πατερός, ειγιώξη περίγμα μεγιστον,  
Εμπνευ τη προθεση, οινοιστρος ιον.  
Την τόσον απάστον θεωπινόντον, οις θεοφραστον  
Γαρ Παρακλησον: την δέξαιον ιχνον τίμεν.

Pauca hæc amico suo αντοχιδίως approperebat

ANTONIUS DÜLGREN Elberfelda-Mont. Opp.

Ad Dn. RESPONDENTEM. Surpe & mente praestantem.

**E**gregium decus est doctos habuisse parentes,  
Sanguinis antiqui nobilitate satos:  
Sed nisi natales propriâ virtute coruscent,  
De genri prodest fama paterna parum.  
Hoc animo volvis doctorum scriptearavolvens,  
Dum simul Auctoris nomine capta probat,  
Quaris qui fructus tanti sudoris acerbi?  
Hic specimen cernis, bellaq; bella vides:  
Scilicet instantem prestigians fortiter hostem,  
Finitâ pugnâ digna bracea refert:  
Sic sibi dum Cathedram scandit, contraria turba  
Mente triumphali discutienda venit,  
Macte tuos studio, BARBECI urgere conatus,  
Sic Themis ipsa sibi præmia digna parat;  
Sic tibi TEUTOPOLIS dicet præconia laudum,  
Dum patria nostra CLIVIA nomen erit.  
Ergo velut pergis: Musarum scande Palestram:  
Hinc patrem sequeris, nomina mille ferens.

Quidam invita hæc apposuit IOH. SEMONDIT. Teutopol.

**F**ortibus an fortes nascantur quærcere stultum est,  
Rem probat eventus, res probat ipsa satis:  
Res probat ipsa satis, cunctaris credere dictis,  
Exemplum statuit non leve Barbecius,  
Claruit in terris patriis, & gloria claret  
Doctoris, patris, Consulis egregii,  
Surgit in exemplum, flagrante cupidine magna  
Majorum, modò quem cernimus in cathedra.  
Rectè agis, Eia viam patulam cum sidere fausto  
Ingredere, ingressam perfice, perge precor.  
Sic tibi calcanti patris vestigia Jona  
Laudes aternas CLIVIA terra canet.

Pausula hæc in omnia tefferam adjectis fido suo Achati  
GUILIELMUS DE WERTS Teutopolitanus